Wullner

DE

P. TERENTII VARRONIS ATACINI

VITA ET SCRIPTIS

COMMENTATIO.

SCRIPSIT

Dr. FRANCISCUS WÜLLNER.

MONASTERII, MDCCCXXIX.
EX OFFICINA COPPENRATHIANA.

29

E r r a t a.

p. 7. l. 12. leg. putet pro putes.
p. 20. l. 7. leg. adhortatas pro adhortatos.
p. 28. l. 6. leg. commentitiis pro commentiis.

DE

P. TERENTII VARRONIS ATACINI

VITA ET SCRIPTIS

C O M M E N T A T I O.

De

Varrone Atacino.

Publius Terentius Varro Atacinus, poeta non ignobilis (v. Vellei. Paterc. II. 36.), natus est in Gallia Narbonensi Ol. CLXXIV, 3. sive anno octogesimo secundo ante Christum. Hoc enim ad eum annum Hieronymus in Chronico Eusebiano testatur. P. Terentius Varro, inquit, vico Atace in provincia Narbonensi nascitur: qui postea trigesimum quintum annum agens Graecas litteras summo studio didicit. Cuius annotationis fontem esse Suetonii librum de poetis, Iosephus Scaliger (ad Hieron. l. c.) docte coniecit eique sententiae Davides Ruhnkenius recte videtur accedere (v. Epist. Crit. II. p. 199. cf. Gerh. Ioh. Voss. de Histor. Lat. p. 77.). Atacini cognomen Varroni impositum esse a vico Atace Hieronymus tradit; Porphyrio contra (ad Horat. Serm. I. 10. v. 46.) a fluvio Atace ductum illud esse affirmat. Quumque vici Atacis nullo alio loco mentio fiat, fluvius vero eiusdem nominis saepius commemoretur apud veteres (v. Plin. Hist. Nat. III. 4. Strab. IV. p. 181. (125). Casaub. al.); Scaliger Porphyrionis sententiam amplectitur probante, ut videtur, Ruhnkenio. Si tamen certum est, ex Suetonio Hieronymum annotationem suam

depromsisse, possis sane dubitare, utrum verum sit, propter gravem his in rebus auctoritatem Suetonii. Quo possis addere, quod non facile quisquam alius apud Latinos a flumine cognomen invenerit. Sed fateor tamen vicum Atacem mihi videri commentitium meque statuere malle Hieronymum, si cetera revera a Suetonio didicerit, eius mentionem de suo addidisse ad explicandum nomen Atacini: hoc enim millies fecisse conscriptores posterioris aetatis notum est. Itaque de loco, quo natus sit Varro, aliam feci coniecturam. Etenim quum propter nomina eius, nisi temere suspicari velis servum eum fuisse, nequaquam dubitandum esse videatur, quin parentes eius cives Romani fuerint in Gallia viventes, non male coniecisse mihi videor eum natum esse Narbone. Ita enim et generis eius ratio et, unde cognomen Atacini adeptus sit, optime explicatur. Antestat omnes, inquit P. Mela (l. II. c. 5.), *Atacinorum* decimanorumque colonia, unde olim his terris auxilium fuit, nunc et nomen et decus est, Martius Narbo. Quocum conferatur Ciceronis locus, qui est in oratione pro M. Fonteio (c. 1. §. 3.): Est in eadem provincia Narbo Martius, colonia *nostrorum civium*, specula populi Romani ac propugnaculum istis ipsis nationibus oppositum et obiectum. Constituta est autem illa colonia Ol. CLXVII. (v. Chronic. Euseb.), ut verisimile sit ipsos parentes P. Varronis Romae natos esse. Ceterum licet fortasse in meam sententiam ipsa Porphyrionis verba (l. c.) interpretari. Sermonem autem, inquit, frustra tentasse (ait Horatius) Terentium Varronem *Narbonensem*, qui Atacinus ab Atace fluvio dictus est. Iam vero nihil aliud de vita Varronis ab antiquis traditum est. Sed quo fere tempore mortuus sit, ex eo, quem laudavimus, loco Horatii (Serm. I. 10. 46.) fortasse colligere licet. Is enim haec scribit:

Hoc erat experto frustra Varrone Atacino
Atque quibusdam aliis, melius quod scribere possem,
Inventore minor.

Quum enim alienum esse videatur ab humanitate Horatii, talem poetam, qualis Varro erat, ita notare, si in vivis ille etiam tum fuisset (non

enim arbitror Aristophanis more acerbe eum invectum esse in tales viros); veri haud dissimile est, Varronem eo tempore vita iam decessisse. Quoniam autem illud carmen Horatius sine dubio duodetrigesimo aetatis anno sive trigesimo septimo ante Christum scripsit (v. Bentl.. Praef. ad Horat. p. X. sq.); Varro, si recte computamus, quadragesimum quintum aetatis annum non superavit. Quod vero propter verba Horatii Varronem tum iam mortuum fuisse statui, id non ita temere factum est. Nam Dec. Laberius, quem eodem carmine (v. 6.) reprehendit, mortem tum obierat. Hieronymus enim ad Ol. CLXXXIV, 2. annotat: Laberius, mimorum scriptor, decimo mense post C. Iulii Caesaris interitum Puteolis moritur. Quinimo, quos oblique pungit Horatius, Catullus non minus, quam Calvus (v. Cicer. Brut. c. 81.) tum haud dubie mortuus erat. His addo coniecturam, quae si probari posset argumentis, omnis paene dubitatio tolleretur. Perstringit enim Horatius in eodem carmine (v. 36.) Alpinum quendam his verbis:

> Turgidus Alpinus iugulat dum Memnona dumque
> Defingit Rheni luteum caput, haec ego ludo . . .

Bentleius sub Alpini persona M. Furium Bibaculum notari existimat: cuius nomen ex H. Acronis scholio recte exsculpsisse mihi quidem videtur. Nec video, qui scholiastae auctoritas iusto infringi possit: nam quod de Alpino sive Cornelio Alpino et Acron et Porphyrion addunt, hoc commentum esse puto (v. Bentleii praeclara annot. cf. Heindorf. ad l. c. G. I. Voss. de Poet. Lat. p. 31 sq.). Omnino autem scholiastarum his in rebus auctoritatem iure defendit vir doctissimus, acerbo funere bonis litteris nuper ereptus, Philippus Buttmannus (v. Comment. de dilog. Horat. p. 330., quae subiuncta est eius Mythologo. Berol. apud Mylium 1828.). Atque ne mirum tibi videatur M. Furium simpliciter dictum esse a scholiasta Bibaculum, animadverto hoc saepius fieri (cf. Diomed. Instit. Gramm. l. III. p. 482. Charis. l. I. p. 102. Putsch.). Praeterea ipsa propositionis forma satis indicat, Alpinum istum eo usque vixisse. Furius Bibaculus autem, si ad illud

tempus vitam produxit (nam de anno, quo mortuus sit, nihil ego compertum habeo), annum sexagesimum sextum fere agebat, quum Horatius hoc carmen edidit. Hoc enim testatur Hieronymus ad Ol. CLXIX, 2. ita scribens: M. Furius poeta, cognomento Bibaculus, Cremonae nascitur. Idem vero Furius quin annis quinque postea iam mortuus fuerit, per se nihil est quod dubitemus: quum alioquin statui deberet, quod non multis contingit, eum ad septuagesimum primum aetatis annum pervenisse. Quum igitur Horatius alio carmine (Serm. II. 5. 41.) Furium addito nomine festive et satis acerbe derideat quumque hoc carmen circiter trigesimum tertium annum ante Christum scripserit (v. Bentl. Praef. ad Hor. p. XI.), haud male suspiceris, eo tempore Furium mortuum fuisse. Certe ipsa verba Horatii huic opinioni nequaquam repugnant. Etenim versus hi sunt:

Persta atque obdura, seu rubra canicula findet
Infantes statuas, seu pingui tentus omaso
Furius hibernas cana nive conspuet Alpes.

Quum enim Furius Bibaculus ceteroquin laudabilis poeta esset (v. Quintil. Instit. Orat. X. 1. 96. Bentl. ad Horat. Serm. I. 10. 37. cf. Sueton de illustr. Gramm. 11.), quis putet vivum eum ab Horatio ita laceratum esse? Nam etsi Voltaerii vocem haud facile defendendam receperis, qui affirmat propter multas ac varias causas hominibus parcendum esse, quamdiu viverent; mortuis nihil nisi veritatem deberi: tamen fatendum est, hanc rationem plerosque homines in iudicando sequi eamque secutum esse multis in locis Horatium. Sed redeo ad Varronem: quem ex ea, quam inii, ratione circiter trigesimum septimum annum ante Christum mortuum esse statuo. Nam multo ante hoc tempus mortem eum obisse vel idcirco non licet putare, quod, quum trigesimo quinto demum aetatis anno Graecis litteris operam navare coepisset, Apollonii Argonautica Latine interpretatus est. Ceterum et nasutulorum causa et credulorum adiiciendum erit, totam hanc ratiocinationem de tempore, quo mortuus sit Varro, me pro mera coniectura habere. Iam vero transeamus ad carmina Varronis; quorum ea primo loco ponemus, ex quibus aliquid de vita auctoris coniicere licet.

I. Epigrammata.

Epigramma non invenustum, quod ex uno disticho constat, scholiasta Persii servat Varronique adscribit. Ubi enim Persius (Satir. II. 36.) Licini campos commemorat (quibus verbis qui significentur, ab interpretibus discas), scholiasta haec affert. Licinius Crassus inter Romanos locupletissimus, ideo dives cognominatus. Alii volunt Licinium (sic!) tonsorem ac libertum Augusti Caesaris significari praedivitem: cuius monimentum est pretiosi operis via Salaria prope urbem ad lapidem secundum. De hoc non invenustum Varronis epigramma fertur:

> Marmoreo Licinus tumulo iacet, at Cato parvo,
> Pompeius nullo: quis putet esse deos?

Atacini Varronis (si modo Varronis est) hoc distichon esse cum Iosepho Scaligero aliisque viris eruditis statuo et propter colorem versuum et quia M. Varronem hexametris vel distichis quidquam conscripsisse omnino non constat. Si igitur omnia, quae hic traduntur, plane vera essent: non nemini forsitan rationes nostrae de tempore, quo mortuus sit Varro, conturbari viderentur: nam Licinus Augusti libertus dicitur. Verum quod Augustum Caesarem hoc loco memorat, id scholiasta non ex fonte suo (quem bonum fuisse res ipsa indicat) hausisse, sed de suo male addidisse mihi videtur. Nam scholiasta Cruquianus ad Horatium (Art. poet. 301.), qui eundem Licinum tonsorem in transitu pungit, his utitur verbis: Tonsor Licinus dicitur factus senator a Caesare, quod *odisset Pompeium*, de quo hoc scriptum est epitaphium:

> Marmoreo tumulo Licinus iacet, at Cato nullo,
> Pompeius parvo: quis putet esse deos?

Hunc vero scholiastam de Iulio Caesare, non de Octaviano, cogitasse manifestum est. Quumque ita appareat, non temere Pompeium et Catonem (Uticensem), quippe adversarios Iulii Caesaris, in epigrammate nominari, eius

sententiam veram esse arbitror. Non ignoro tamen apud Suetonium (Aug. c. 67.), ubi nunc vulgo legitur Licinium, Enceladum aliosque, sed in codicibus et prima editione Lucidium exstat (v. Not. Casaub.), Oudendorpium coniecisse legendum esse *Licinum*, Eunum, Celadum: ut Licinus inter Augusti libertos numerandus sit. Sed docta Oudendorpii nota perlecta tam dubia mihi adhuc videtur illa emendatio, ut quid statuam non possim decernere. Si quis tamen probaverit epigramma nostrum de Augusti sive Octaviani liberto aliquo esse intelligendum, continuo concedendum videtur totam meam de tempore, quo mortuus sit Varro, cadere rationem. Quamquam possem sane occurrere, dubia auctoritate illud distichon Varroni adscribi: nam apud scholiastam Persii (l. c.) in codice ab Heinsio collato legitur non Varronis, sed Tyronis. Et fateor mihi non displicere hanc lectionem, quum primum haud verisimile sit, Varronis nomen notissimum corrumpi potuisse, tum ex iis, quae ad Bellum Sequanicum afferam, coniicere liceat, Varronem cum Iuliis contra Pompeium et Catonem stetisse. Tiro autem usque ad Ol. CXCIII, 4. vixit (v. Hieron.) haud dubie Caesarum inimicus. Extremo loco de isto Licino, quisquis fuit, placet addere Martialis testimonium (Epigr. VIII. 3. v. 5. 6.)

> Et cum rupta situ Messalae saxa iacebunt,
> Altaque cum Licini marmora pulvis erunt.

Eiusdem divitias commemorat Seneca (Ep. 119.).

Epigramma ipsum, ut hoc videamus, variam et amplam disputandi materiam suppeditat. Primum enim lectionis discrepantia est apud utrumque scholiastam. Sed rectius legitur marmoreo Licinus tumulo, quam marmoreo tumulo Licinus: cur, apparet. Tum etiam magis per se mihi placet Cato parvo, Pompeius nullo: sed historia repugnat (v. Plutarch. Pomp. fin.). Praeterea apud Lucanum (l. VIII. 713.) haec sunt:

> Pompeio raptim tumulum fortuna paravit,
> Ne iaceat nullo, vel ne meliore sepulcro.

Quocum aliud Pompeii epitaphium conferendum est, quod exstat apud Burmannum (Anthol. Lat. Tom. I. p. 202.).

Maxima civilis belli iactura sub ipso est.
Quantus quam parvo vix tegeris tumulo.

Itaque fortasse cum Horatii scholiasta in nostro epigrammate legendum est at Cato nullo, Pompeius parvo. Porro animadvertendum est, in duobus codicibus scholiastae Persii, ut monet Burmannus (l. c. p. 206.), credimus legi pro quis putet: eamque lectionem Iosephus Scaliger (Catal. p. 185.) et Burmaunus receperunt. Idem Burmannus aliud distichon epigrammati nostro coniunxit hunc in modum:

Marmoreo Licinus tumulo iacet, at Cato parvo,
Pompeius nullo: credimus esse deos?
Saxa premunt Licinum, levat altum fama Catonem,
Pompeium tituli: credimus esse deos.

Secutus est autem, ut ipse dicit, hoc loco Burmannus Grangaeum (ad Iuvenal. I. v. 109.) et Binetum (Petronii et aliorum vetusta epigrammata. Pictavii, 1579), qui duo haec disticha coniuncta edidernnt sub nomine Terentii Varronis Atacini. Affirmat tamen ipse Burmannus, se aliquando dubitasse, num posterius distichon Varroni iure adscriberetur. Putabam aliquando, inquit, secundum illud distichon ab aliena manu assutum esse. Saltem quomodo *saxa premunt Licinum* dici possit, cum tam magnifico compositus sit tumulo, videant alii. Nam *premi* dicuntur illi, qui indigna et exigua urna vix clauduntur; ut infra in Epigr. XLVI. (Anth. Lat. Tom II. p. 215.) de Scipione:

Respice res hominum, quam brevis urna premit.

Supra Epigr. XXVI. (Ib. p. 200): Magne, premis Libyam. Epigr. XXXV. (Ib. p. 204.) de Pompeii manibus evocandis:

Non potuit terris spiritus ille premi.

Sed nunc muto sententiam et utrique locum esse dandum opinor. Haec Burmannus. Verum ego admodum dubito, num posterius

illud distichon a Varrone, aut omnino a quoquam poeta eius aetatis compositum sit. Nam primum mihi ignotum est, unde illud sumtum sit, cuiusque auctoritate Varroni adscribatur. Sed maiorem etiam dubitationem mihi affert, quod tria in duobus his versibus insunt, quae non ex usu Latino dicta esse videantur. Primum, quod Burmannus de premere animadvertit, non magnopere premo: quum praesertim ex tribus, quae ad eam sententiam firmandam affert, exemplis primum varietate lectionis laboret, alterum plane ineptum sit, tertium nihil comprobet. Sed levare pro extollere sive efferre, si quis unquam Latinorum dixit, certe Varro bonique scriptores eius aetatis non dixerunt. Tum vocabulum tituli sine additamento dictum quid hoc loco sibi velit, sane non video: namque nomina honoris causa indita vel honores mandati significare nequit. Denique Latinum scriptorem, qui nativam vocabulorum vim toto animo sentiret, eo, qui hic requiritur, sensu vocabula titulum et levare inter se coniunxisse, hoc credat, qui credere potest. Reliquum est igitur, ut secundum illud distichon ab aliquo doctore umbratico, qui Varronis epigramma legeret, vel compositum vel assutum esse dicam. Atque haud parum hanc meam sententiam confirmat Scaligeri auctoritas, qui, quum pro immensa sua doctrina totum litterarum orbem permensus esset, non neglexisset haec duo disticha inter se coniungere, si alterum Varronis esse iudicasset. Quum autem Varronis non sit, non est scriptoris antiqui.

Sed idem Iosephus Scaliger (Catal. p. 185.) aliud epigramma cum eo, quod iam dudum tractamus, hoc modo coniunxit:

Littore diverso Libyae clarissima longe
  Nomina vix ullo condita sunt tumulo.
Magnus et humano maior Cato, qui procul a te
  Adspicit heu cineres, Roma, iacere suos!
Marmoreo Licinus tumulo iacet, at Cato parvo,
  Pompeius nullo: credimus esse deos?

Quam perverse autem haec inter se consuta sint, nemo non videt. Verum non raro Scaliger, ut multi alii eius aetatis, ita ingenio suo et

doctrina abutitur, ut ex membris diversis, quae nequaquam inter se congruant, unum quasi corpus formare conetur. Rectissime igitur Burmannus (Anthol. Lat. Tom. I. p. 204.) ea disiunxit, quatuorque versus priores, quum sine ulla auctoritate Varroni assignati essent, incerto auctori tribuit. Ceterum ne tertium versum male intelligas, moneo te, Magnum illum esse Pompeium magnum.

II. Bellum Sequanicum.

Alterum carmen P. Varronis, ex quo coniecturam aliquam de vita eius feci, Bellum Sequanicum est. Priscianus (l. X. c. 1, p. 475. Krehl. 877. Putsch.), quo loco animadvertit veteres pellicui dixisse pro pellixi, praeter alia testimonia etiam ex P. Varronis libro secundo Belli Sequanici hunc versum affert:

Deinde ubi pellicuit dulcis levis unda saporis.

Cum locutione levis unda dulcis saporis iuvat comparare Lucretianum aeriae undae (II. 151.). Minus autem illustre fuisse hoc carmen inde colligo, quod alium locum non inveni, quo illud laudetur. Possis etiam Quintiliani verba, quae infra adscribemus, in hanc sententiam interpretari. Ac sane difficillimum est carmen historicum scribere, quod eleganti lectori possit placere: quippe in quo et diligentissima personarum morumque descriptio et dictio ornata ac splendida requiratur. At splendorem orationis, siquid ex fragmentis colligere licet, Varronis ingenio non tribuerim. Etenim tersam elegantiam ac nitidam propriam ei esse diceres. Ceterum non possum hoc loco praetermittere, quin coniecturam meam proponam de ipso Varrone. Quum enim hoc, de quo loquimur, carmen Caesaris res gestas laudibus efferre necessario deberet, pro certo affirmare licet, eius rebus Varronem favisse. Suspicatus sum igitur, in bellis et Gallico et civili Caesari eum comitatum esse eamque ipsam ob causam trigesimo quinto demum aetatis anno (id est 47. ante Chr.), quo tempore bellum

civile finitum est, Graecis litteris operam dare incepisse. Cur autem Glandorpius (Onom. s. n. P. Terent. Varr. Atac.) dubitanter Atacino Varroni **Bellum Sequanicum** adscribat, causa prorsus nulla est.

III. Argonautica.

Varronem Apollonii Argonautica Latine interpretatum esse, iam supra monui. De quo opere Quintilianus (Instit. Orat. X. 1. 87.) ita iudicat. **Atacinus Varro, inquit, in iis, per quae nomen est assecutus, interpres operis alieni non spernendus quidem, verum ad augendam facultatem dicendi parum locuples.** Quod autem Varro hoc loco ad dicendi facultatem augendam parum locuples dicitur, id laudi ei potius tribui debere quam vituperationi esse non ignorabunt, qui quo consilio Quintilianus de poetis iudicet cognoverint. Quod consilium ex iis maxime intelligitur, quae de Sophocle et Euripide pronuntiantur. **In dispari, inquit, dicendi via uter sit** *poeta melior,* **inter plurimos quaeritur: idque ego, quia ad** *praesentem materiam nihil pertinet,* **iniudicatum relinquo. Illud quidem nemo non fateatur necesse est, iis,** *qui se ad agendum comparant,* **utiliorem longe Euripidem fore** (Ibid. X. 1. 67.). Neque vero etiam ita hoc de Varrone iudicium intelligi debere, quasi cetera eius carmina parum nota fuerint ac probata, ex iis apparet, quae deinde afferentur. Sed illud tamen verum est, interpretationem Argonauticorum frequentius reliquis eius carminibus ab aliis scriptoribus laudari. Laudat eam Propertius (II. 25. 85.) hisce verbis:

> Haec quoque **perfecto** ludebat **Iasone** Varro,
> Varro Leucadiae maxima flamma suae.

Idem poema Ovidius ter cum laude commemorat:

> Varronem primamque ratem quae nesciat aetas
> **Aureaque Aesonio terga petita duci?** (Amor. I. 15. 21.).

Dictaque Varroni fulvis insignia villis
    Vellera germanae, Phryxe, querenda tuae. (Art. Am. III. 335.).
Is quoque, Phasiacas Argo qui duxit in undas,
    Non potuit Veneris furta tacere suae. (Trist. II. 439.)

Praeterea Statius (Genethl. Lucan. Silv. II. 7. 77.) idem poema ita commemorat, ut eum bene de eo existimasse appareat.

Cedet musa rudis ferocis Enni
Et docti furor arduus Lucreti
Et qui per freta duxit Argonautas
Et qui corpora prima transfigurat.

Varronem enim a Statio hoc loco significari, non Valerium Flaccum, vere disputat G. I. Vossius (de Histor. Lat. p. 77.). Est enim Valerius Lucano aetate paulo posterior et ipsius Statii fere aequalis. Quare quum sermo apud Statium sit de poetis antiquioribus, quorum superaturus sit gloriam Lucanus, quumque scriptor ille Argonauticorum inter Lucretium et Ovidium medius interponatur; nemo alius innotuit, qui posset intelligi, praeter Varronem.

Iam vero non ita Varronem Apollonii carmen interpretatum esse, ut verbum pro verbo redderet, sed nonnulla potius eum opportunis locis inseruisse, hoc et per se probabile est (quippe ita ferebat Latinorum interpretandi consuetudo) et antiquorum scriptorum auctoritate confirmatur. Probus enim ad Virgilii Georgica (l. II. v. 126.) haec annotat: Pars Parthorum Media est appellata a Medo, filio Medeae et Aegei, ut existimat Varro, qui quatuor libros de Argonautis edidit. Namque hunc locum in Argonauticis Varronis lectum fuisse, quamquam hoc ipsis verbis grammatici non aperte continetur, manifestum est. Mediae autem nomen a Medo, Medeae filio, ductum esse, hac de re in toto Apollonii carmine nihil invenitur, ut recte iam pronuntiavit Ruhnkenius (Ep. Crit. II. p. 201.). Praeterea ex aliis quoque fragmentis, ut infra videbimus, intelligi licet, Varronem ab Apollonio non raro recessisse.

1. Duos versus et dimidium ex hoc carmine Servius ad Virgilium (Eclog. I. 66. cf. Vib. Sequest. p. 15.) servavit. Oaxen, inquit, in Creta oppidum condidisse, quod suo nomine nominaverit, Varro ait:

Quos magno Anchiale partus adducta dolore
Et geminis capiens tellurem Oeaxida palmis
Edidit in Dicta.

Apollonii versus, qui (ut et alii iam antea monuerunt et post eos Ruhnkenius Ep. Crit. II. p. 199.) in Argonaut. lib. I. v. 1129 — 1131. leguntur, hi sunt:

οὕς ποτε νύμφη
Ἀγχιάλη Δικταῖον ἀνὰ σπέος ἀμφοτέρῃσι
δραξαμένη γαίης Οἰαξίδος ἐβλάστησεν.

Postremi versus particula apud Servium (ed. Fabric.) est funere dicta fuit: Brunckius (Not. ad Apoll. l. c.) fundere dicta scripsit. Salmasius autem (Exercit. Plin. p. 692. a. C.) et Ruhnkenius (l. c.) eam, quam dedi, lectionem habent: quae per se quidem propter Graeca verba maxime probabilis est. Unde tamen ea sit orta, quum nullam praeter Fabricianam Servii editionem inspicere mihi licuerit, plane ignoro. Num forte meliores Vibii editiones eam habeant, itidem mihi ignotum est: nam quae mihi patuit huius pusilli scriptoris editio, pessima est eaque particula omnino caret. Iam vero si ad Servii verba respicimus, hoc quoque loco, nisi quid grammaticus somniaverit, Varro aliquid de suo addidisse videri debet: nam de Oaxe, qui oppidum in Creta condiderit suoque id nomine appellaverit, apud Apollonium verbum est nullum.

2. Ex secundo libro Argonauticorum (v. Apollon. II. v. 500 — 527.) Probus ad Virgilium (Georg. I. v. 14.) historiam Aristaei affert. Insula est Cea, inquit, in Aegeo mari, in qua sunt urbes quatuor: Iulis, Carthaea, Poeëessa, Coresus. Ibi existimatur fuisse pestilentia pecorum et armentorum gravis propter interitum Actaeonis. Aristaeus monstrante Apolline patre profectus

est in insulam Ceam et ibi sacrificio facto aram Iovi Icmaeo constituit: qui placatis flatibus et aestu, qui necabant et armenta et pecora, liberavit ea. Ipse autem post excessum vitae imperante oraculo ab immorantibus eam insulam relatus in numerum deorum appellatus est Nomius et Aegoros, quod et agresti studio et cura pecorum armentorumque non mediocriter profuerat hominibus. Traditur haec historia de Aristaeo in corpore Argonautarum a Varrone Atacino. Ruhnkenius (Ep. crit. II. p. 209.) pro qui placatis flatibus et aestu, qui necabant et armenta et pecora, liberavit ea ex coniectura scripsit qui placato flatibus aestu, qui necabat et armenta et pecora, liberavit eam. Quod placato flatibus aestu coniecit, id per se sane omnino probabile est, quum etesiarum flatu aestus temporatus sit (v. Apoll. Arg. l. c. ibid. schol. cf. Ruhnk. l. c.): verum ea mutatio iusto audacior mihi videtur. Itaque suspicor cogitandum esse de pestiferis flatibus: cui opinioni Apollonii auctoritas idcirco non refragatur, quod ex Probi verbis hunc locum liberius a Varrone tractatum esse intelligitur. Notandum est etiam pro flatibus apud Fabricium male legi floribus. Neque altera quidem mutatio omnino necessaria mihi videtur: quidni enim, quamquam paulo durius est, ea referamus ad pecora? Aliter loquitur Cicero, aliter grammaticus. Certe ne eam quidem mihi omnino satisfacit. Deinde Ruhnkenius pro immorantibus eam insulam legere iubet immorantibus in ea insula: ego contra dixerim notandam esse hanc verborum structuram, non mutandam. Idem vero pro Aegoros rectissime Agreus scripsit (v. Apollon. Arg. II. v. 507. ibiq. schol. cf. Ruhnk. l. c. p. 210.). Denique vitiosum esse puto in corpore Argonautarum, et fortasse legendum esse in corpore Argonauticorum: apud Fabricium certe exaratum est in corpore Argonautorum.

3. M. Seneca (Controv. XVI. extr.), quo loco de hisce Virgilii versibus (Aen. VIII. 26. 27.) cogitat:

> Nox erat et terras animalia fessa per omnes
> Alituum pecudumque genus sopor altus habebat,

haec scribit: Montanus Iulius, qui comis fuit quique egregius poeta, aiebat Virgilii imitationem bene cessisse, qui illos optimos versus Varronis expressisset in melius:

> Desierant latrare canes urbesque silebant,
> Omnia noctis erant placida composta quiete.

Solebat Ovidius de his versibus dicere, potuisse fieri longe meliores, si secundi versus ultima pars absci nderetur et sic desineret: *omnia noctis erant.* Varro, quem voluit sensum, optime explicuit. Ovidius in illius versu suum sensum invenit: aliud enim intercisus versus significaturus est, aliud totus significat. Sunt autem duo hi versus elegantissimi, quod post Ios. Scaligerum, Brunckium, Ruhnkenium (l. c. p. 218.), aliosque ipse per me inveneram, translati ex tertio Apollonii libro (v. 749. 750.):

> *Οὐδὲ κυνῶν ὑλακὴ ἔτ' ἀνὰ πτόλιν, οὐ θρόος ἦεν*
> *ἠχήεις· σιγὴ δὲ μελαινομένην ἔχεν ὄρφνην.*

Sunt igitur illi versus Atacini Varronis, non, quod quidam putarunt, Marci Varronis: quamquam id per se manifestum erat.

4. Charisius (Instit. gramm. l. I. p. 70.) vocabulum anguis etiam feminino genere usurpatum esse tradit Varronisque versum pro testimonio affert. Idemque cum eodem versu Varronis docet Nonius Marcellus (de indiscr. gen. s. v. angues. p. 191, 22.). Anguis cum sit, inquit ille, masculini generis, dixerunt tamen et feminini, ut.... Varro Atacinus:

> Cuius ut adspexit torta caput angue revinctum.

Hunc versum Brunckius suspicatur expressum esse ex hisce Apollonii versibus (Arg. III. 1214. ibiq. Brunk. not.):

> *πέριξ δέ μιν ἐστεφάνωντο*
> *σμερδαλέοι δρυΐνοισι μετὰ πτόρθοισι δράκοντες.*

Brunckii sententiam recte amplectitur Ruhnkenius (l. c. p. 220). Loquitur enim Apollonius eo loco de Iasone, qui Hecatam evocat. Quae ubi ex faucibus regni sui serpentibus cincta et canibus infernis aliisque monstris circumdata apparuit; Iasonem timor quidem occupat, sed nequaquam tamen fugit. Ergo sensus illius versus ita fere supplendus est: Cuius (Hecatae) ut adspexit (Iason) torta caput angue revinctum etc.; tum eum timor occupat etc.

5. Alium versum, qui ad Phaethontis historiam pertinet, Quintilianus servat (Inst. Or. I. 5. 18). Ei (*διαιρέσει*) contrarium vitium, inquit, *συναίρεσιν* et *συναλοιφὴν* Graeci vocant, nos complexionem dicimus; qualis est apud P. Varronem:

Quum te flagranti deiectum fulmine, Phaethon.

Apollonii versus, qui sunt l. IV. v. 597, 598, Ruhnkenius indicavit (l. c. p. 224.):

Ἔνθα ποτ᾽ αἰθαλόεντι τυπεὶς πρὸς στέρνα κεραυνῷ
ἡμιδαὴς Φαέθων πέσεν ἅρματος ἠελίοιο.

Sed idem tamen vir doctissimus Varronis versum omnino explanare intermisit: namque animadvertendum est, hunc quoque locum, ut antecedentem, Varronem aliquantum immutasse, sive brevius totam rem exposuerit, sive singula membra artius colligaverit. Puto igitur explicationem ex Apollonii v. 603 sqq. petendam esse.

Ἀμφὶ δὲ κοῦραι
Ἡλιάδες, ταναῇσιν ἐλιγμέναι αἰγείροισι
μύρονται κινυρὸν μέλεαι γόον κ. τ. λ.

Ita sensus erit: Te, Phaethon, flagranti fulmine deiectum Heliades sorores moesta voce lugent. Verum qua ratione illud quum explicandum sit, certo dici nequit. Possis suspicari:

Quum te flagranti deiectum fulmine, Phaethon,
Conspiciunt, moesta lacrimantur voce sorores.

6. Apud Virgilium (Aen. X. 394.) hic versus exstat:

Semianimesque micant digiti ferrumque retractant.

Ad eum versum Servius haec annotat. Ennii est:

Oscitat in campis caput a cervice revolsum
Semianimesque micant oculi lucemque requirunt.

Quem versum ita transtulit ad suum carmen Varro Atacinus. Quum ego temere priorem quoque versum Varroni adscriberem, utrumque ad Absyrtum pertinere suspicabar; verum, si modo in Argonauticis ille lectus fuerit, Ruhnkenius (l. c. p. 226.) non male eum ad Mopsi interitum refert (v. Apoll. Arg. IV. 1525):

ἦτέ οἱ ἤδη ὑπὸ χροῒ δύετο κῶμα
λυσιμελὲς, πολλὴ δὲ κατ᾽ ὀφθαλμῶν χέετ᾽ ἀχλύς.

Idem adiungit sic Latine redditum esse hunc versum a Varrone, nihil ut fingi possit elegantius, non monito, Ennium eius auctorem esse. Ceterum monendum hoc loco mihi videtur, quod Virgilius tot locis fecit, ut aliorum poetarum versus vel integros vel leviter tantum immutatos in sua carmina transtulerit, hoc videri fecisse optimum quemque poetam epicum apud Latinos. Ita Graecorum poetae epici ex Homericis carminibus versus multos vel partes versiculorum depromserunt: at hi tamen facilius excusantur, si Wolfii sententia de illis carminibus vera est. Quam sententiam utinam denuo examinet alter Wolfius! Nam qui nuper oppugnare eam voluerunt, eorum plerisque fidele consilium dederis, ut, antequam Wolfio obloquantur, et argumentis probare opiniones suas discant et perspicue eloqui. Ita, quae tantus vir docte et ingeniose disputavit, suspenso naso calumniari non auderent, dum ore et verbis reverentiam ipsi praestant.

7. Servius (ut etiam Philargyrius) ad Virgilii Georgica (l. III. 176.) haec scribit. Antiqui *fetum* pro *gravido* solebant ponere, ut Varro Atacinus:

feta feris Libyae.

Apud Fabricium est cuius feta feris Libyae. Sed Ruhnkenius (l. c. p. 226.) I. Rutgersii lectionem probat, qui Libye scripsit, fragmentumque ad Apollonii l. IV. 1562. refert:

Εὐρύπυλον Λιβύῃ θηροτρόφῳ ἐγγεγαῶτα.

Quae opinio sane non improbabilis est, nisi forte dubitas, an ex Chorographia aliove carmine Varronis verba illa petita sint.

8. Octavum Argonauticorum fragmentum daturus sum ex I. R. Sinneri libro, qui inscribitur Anecdota quaedam excerpta e Catalogo codicum mss. bibliothecae Bernensis (Bernae, ex off. typogr. illustr. reipubl. 1760. 8.). In eo libro (didici hoc autem e G. Seebodii Bibliotheca Critica, Mens. Mai. 1829. p. 244; nam librum ipsum nunquam vidi), in eo igitur libro (p. 621.) e codice membranaceo saeculi noni, qui numero 336. insignitus est, haec proferuntur. Audacis de Scauri et Palladii libris excerpta per interrogationem et responsionem. Tum praeter duas sententias ineptas et obscuras haec, quae sequuntur, de Varrone affert. Varro in Argonautis Nymphas hexametrum fecisse sic scripsit:

Te nunc Ortygiae tenentem specula Nymphae
Orantes o Phoebe et io licona clamarunt.

Uterque versus aperte mendosus est. Initio posteriorem suspicabar ita emendandum esse:

Orantes, o Phoebe et io Letoa, calarunt.

Sed quum calare, quo verbo alter Varro usus est, Atacino Varoni nollem tribuere, hoc conieci:

Orantes, o Phoebe et io Latonia, clamant.

Nam Dianam sub mendosa scriptura licona latere, pro certo putabam. Quum enim versus ipsi, quales sunt, apud Apollonium nuspiam legantur, apte eos putabam inseri posse vel I. 1225, vel II. 712 (altero enim loco

Nymphae Dianam, altero Apollinem celebrant), vel IV. 1200, vel denique eodem libro extremo. Sed videamus Apollonii versus, qui l. II. v. 711 sq. leguntur:

Πολλὰ δὲ Κωρύκιαι Νύμφαι, Πλείστοιο θύγατρες,
θαρσύνεσκον ἔπεσσιν, Ἰήϊε κεκληγυῖαι.

Inducit hoc loco Apollonius Orpheum canentem, Nymphas Apollinem, dum sub iugis Parnassi serpentem sagittis interficeret, adhortatos esse Ἰήϊε clamantes. Ne autem dicas Varronis versus ad hunc locum Apollonii non pertinere de priore versu prius dicendum est. Is enim duobus vitiis laborat: nam et tenentem et specula metro repugnat. Itaque fragmentum hoc modo emendabis:

Te nunc Coryciae tendentem spicula Nymphae
Hortantes, o Phoebe et Ieïe, conclamarunt.

Prioris versus emendatio tam certa est, ut non videam, quid contra dici possit. Nam Ortygiae Nymphae nemo tueri poterit et propter Graeca verba, et quod illae, quantum scio, nusquam reperiuntur. Neque tam magna est mutatio litterarum, quam leviter intuenti forsitan videatur: nam propter antecedens nunc prius C omissum est, alterum vero, si versus litteris maiusculis scribebatur, facile in G transformari potuit. Moneo etiam (quoniam quidem religiosi hoc poscere solent) apud Seebodium i pro y esse scriptum; sed scribitur etiam constanter Nimphae pro Nymphae. Iam vero illud t mirum est unde invaserit. Audi igitur, quid suspicatus sim. Puto enim alteri altero versu non satis accurate subscripto factum esse, ut, quum unus librarius orantes pro hortantes vitiose scripsisset et corrigendi causa litteram t versui superposuisset, ea littera ab alio scriptore librario, qui male sagax esset, in vocabulum Coryciae transcriberetur. Quam coniecturam si probaveris, ex hortantes continuo nascitur orantes: quum h ab his librariis, qui exametrum pro hexametrum et Esiodus pro Hesiodus exararent, omissum sit. In secundo autem

versu ego conieceram legendum esse Ieïon acclamarunt omissa particula et. Sed haec omissio et quoniam vocativum Ieïe desiderabam, fecit, ut continuo mihi placeret Grauerti mei inventum, qui acute vidit non acclamarunt, sed conclamarunt legendum esse: quamquam initio illud a in licona negligi opportere non putabam. Porro ut Ieïe a Varrone usurpatum esse probare studeam, non erit opus: licet hoc vocabulum apud Latinum scriptorem alium non legatur. Immo hoc ipsum, quod Ieïus vulgo ignotum erat, indoctos homines haud dubie induxit, ut locum corrumperent. Praeterea autem supra pro Argonautis haud dubie scribendum est Argonauticis: nam quod antea vidimus corpus Argonautarum, si est genuinum, aliud est. Iam vero si quaeris, quisnam Scauri vel Palladii nomine significetur, ego profecto nescio. Quumque huius loci non sit hoc quaerere et, si sit, tempus non minus quam librorum copia ad id faciendum mihi desit; aliis eam quaestionem instituendam relinquo: hoc solo monito, supra quinquaginta Palladios a Fabricio enumerari (v. Bibl. Graec. vol. IX. p. 10. cf. Wernsdorf. Poet. Lat. min. Tom. VI. p. 15. sqq., Tom. III. p. 342.).

Haec pauca tantum ex Argonauticis Varronis supersunt. Non mediocrem autem iacturam in hoc carmine nos fecisse et ex Quintiliano quivis facile colligit et fragmentis elegantissimis comprobatur. Et si Varronis opus adhuc exstaret, non dubito affirmare propter simplicitatem orationis et candorem nativamque elegantiam omnes fere interpretationem potius lecturos esse, quam ipsum Apollonii carmen.

IV. Chorographia sive Cosmographia.

Tertium carmen Varronis Chorographiam inscriptam fuisse viri docti vulgo iudicant. Sed dubitari posse de hac inscriptione, num vera sit, infra videbimus. Complures autem versus apud grammaticos veteres

leguntur, quos, quum et aliis et mihi ex hoc carmine depromti esse videantur, hoc loco describere placet.

Cingitur Oceano, Libyco mare, flumine Nilo.

. . . . . tutum sub sede fuissent.

Ergo inter solis stationem et sidera septem
Exporrecta iacet tellus: huic extima fluctu
Oceani, interior Neptuno cingitur ora.

Et quinque aetheriis zonis accingitur orbis;
At vastant imas hiemes mediamque calores:
Sic terrae extremas inter mediamque coluntur,
Qua solis valido nunquam rota ferveat igne.

Vidit et aetherio mundum torquerier axe
Et septem aeternis sonitum dare vocibus orbes
Nitentes aliis alios: quae maxima divis
Laetitia stat. Tum longe gratissima Phoebi
Dextera consimiles meditatur reddere voces.

Indica non magna minor arbore crescit arundo:
Illius e lentis premitur radicibus humor,
Dulcia cui nequeant succo contendere mella.

Tum liceat pelagi volucres tardaeque paludis
Cernere inexpleto studio certare lavandi
Et velut insolitum pennis infundere rorem,
Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo
Et bos suspiciens coelum (mirabile visu!)
Naribus aerium patulis decerpsit odorem,
Nec tenuis formica cavis non evehit ova.

Primus hic versus Varroni Atacino tribuitur a Prisciano (l. VII. 11. p. 327. Krehl. p. 759. Putsch.), qui veteres scriptores pro ablativo mari interdum mare dixisse animadvertit. Eundem versum sub Atacini Varronis nomine bis affert Charisius (Instit. Gram. l. I. p. 45. p. 111. ed. Putsch.). Bur-

mannus (Anthol. Lat. Tom. II. p. 337.) pro cingitur habet clauditur: quae lectio num forte apud Charisium exstet, nescio. Nam quum mihi liceret Putschianam grammaticorum editionem inspicere, hanc rem enotare neglexi. Per se autem clauditur neque amplectendum nec spernendum esse prae altera lectione quivis facile videt: nam claudere locum flumine vel aqua non minus quam cingere a bonis scriptoribus dicitur. Ceterum in Chorographia Varronis lectum fuisse hunc versum, ex ipso argumento eius certo intelligitur. Spectat autem procul dubio ad descriptionem Africae, quae ab occasu terminatur Oceano, Libyco mari a septemtrionibus, ab oriente Nilo flumine. Sed qua ratione Burmannus (l. c.) hunc versum cum tribus fragmentis insequentibus coniunxerit, commemorare nolo: nam talia conglutinare temeritatis est.

Particula versus, quam secundo loco posui, a Festo servatur s. v. tutum Tutum (inquit) frequenter dicitur maxime. Varro in Europa.

tutum sub sede fuissent.

Ita locum interpungunt Scaliger et Dacerius. Sed ego cum Fr. Rittero meo (qui et hunc et alios locos, quum compluribus libris hic carerem, me rogante descriptos Berolino benigne tramisit) non invitus legerim: Tutum frequenter dicitur, maxime Varro etc. Ceterum vides, Festum nihil aliud hoc loco docere, quam tutum pro adverbio tuto dici. Europam autem Chorographiae partem fuisse, recte suspicari puto Ruhnkenium (Epist. crit. II. p. 200.).

Tres versus insequentes Priscianus (l. III. c. 4. p. 122. Krehl. p. 609. ed. Putsch.) ex Varronis Orthographia affert, ut extimus non minus quam extremus dici probet. Sed iam Putschius Chorographia pro Orthographia edidit: quod Burmannum fugisse qui nihil accurate explicat, non mirum est (v. Anthol. Lat. Tom. II. p. 336.). Quidquid autem est, lectionem Orthographia vitiosam esse, nemo non videt. Nam ut taceam de argumento versuum, M. Terentius Varro vel omnino nullos vel tales certe hexametros scribere non potuit. Sed ipsi

codices antiqui, ut ex Krehlii nota discere potes, meliorem lectionem habent. Nam in Erlangiensi secundo legitur corographia et in Zwiccaviensi secundo cosmographia; Heidelbergiensis autem, quem in praestantissimorum codicum numero referre Krehlius non dubitat, supra scriptum habet vel cosmo. Quum autem hoc uno loco, quantum scio, titulus huius carminis Varroniani exstet, ego sane dubito, utra vera sit inscriptio, Chorographia an Cosmographia: nam hanc posteriorem minime ineptam esse, illico videbimus.

Quod fragmentum quarto loco dedi quodque quatuor versibus constat, in scholiis ad Bedae librum de Temporum Ratione (Opp. Tom. II. p. 112. ed. Col.) servatur. Sermo ibi est de circulis mundi et tum adiicitur de quibus Varro ita dicit:

> Et quinque aetherius zonis accingitur orbis;
> At vastant imas hiemes mediamque caloris:
> Sic terrae extremas inter mediamque coluntur,
> Quam solis valido nunquam ut auferat igne.

In primo versu Iosephus Scaliger (Catal. p. 244.) aetherius in aetheriis mutavit eumque sequitur Burmannus (Anthol. Lat. Tom. II. p. 336.). Mihi quoque haec lectio potior videtur propter versum insequentem, quamquam et altera per se non inepta est. Idem Scaliger at pro et scripsit, ut hos versus insequenti fragmento in fine subiiceret cum eoque coniungeret. At qui talia connectit, eum profecto non video, quid non possit conglutinare. Burmannus tamen religiose eum sequitur. Iidem in secundo versu pro at legunt ac: cur, vides. Deinde caloris pro calores perspicuum vitium est. Ultimum autem versum, qui plane corruptus est, Scaliger ita sanare conatur:

> Qua solis calido nunquam rota ferveat igne.

Qui cur valido in calido mutaverit non video, quum validus ignis ab aliis quoque poetis dictum sit (cf. Ovid. Met. VII. v. 9. al.). Solis

rota ex Lucretio (V. 575. 433.) satis notum est. Ego tamen in duas alias coniecturas incidi, quas affero, non quo alterutram Scaligeranae praeferendam esse putem, sed ut ostendam me quoque aliquantum de medela huius versus cogitasse. Putabam igitur in ut auferat latere aestu ferveat et legendum esse:

Qua solis valido nunquam aestu ferveat ignis.

Validus aestus apud Ovidium est (Art. III. 543.). Neque ignis, quod pro igne scripsi, omni auctoritate caret. Nam in Salomonis, episcopi Constantiensis, glossario antiquissimo, in quo s. v. Zona hoc idem fragmentum Varronis servatur (v. Burmann. Anth. Lat. Tom. II. p. 335.), ultimus versus ita legitur:

Quam solis valido nunquam adserat ignes.

Sed quum etiam ille usus relativi qua mihi non probaretur, suspicabar ita fortasse scribendum esse:

Quas solis valido nunquam aestu torreat ignis.

An sub adserat latet atterat, ut ardore atterat legendum sit? Verum apage coniecturas! Ceterum neque in scholiis ad Bedam, neque apud Salomonem dictum est, hoc fragmentum Atacini Varronis esse: quod tamen ipsum argumentum versuum satis comprobat. Atque omnino, donec erroris convincar, hoc ego statuo, Marcum Terentium Varronem hexametros fecisse nullos.

Quintum fragmentum Marius Victorinus (Art. Gram. l. I. p. 2503. Putsch.) servavit. Loquitur autem grammaticus eo loco de choris ita dicens: tertio consistebant canendo . . . ., de qua re Varius sic tradit . . . ., item et *Varro: Vidit et aetherio etc.* Tertio versu pro laetia stat, tunc (sive tum) Ianus Rutgersius (Lect. Venus. c. 3.), Gerh. Ioh. Vossius (de Art. Gram. l. II. c. 6. p. 171.), Iacobus Tollius aliique (v. Burmann. Anth. Lat. Tom. II. p. 335.) legi iusserunt laetitia est; at tum, iisque ego non invitus assentiar, non quod a correptum in laetitia temporis spa-

tium implere non possit, aut stare a poetis ita non usurpetur, sed quod versus parum numerosus est. Praeterea etiam emendatio illa fit sine ulla mutatione litterarum; antiquitus enim scribi solebat laetitia 'st at (v. Voss. l. c.). Sed quaeritur, ad quemnam pertineat verbum vidit: si ad Apollinem, at ferri non posset. Ceterum hi versus ad concentum orbium coelestium spectant, ut recte monuit Burmannus (Anth. Lat. II. p. 335.). Pulcherrime de hac harmonia mundi loquitur Cicero (Somn. Scip. 5. cf. Macrob. Somn. Scip. l. II. c. 1—4.): de qua re Pythagoram primum fabulatum esse satis notum est. Pythagoras prodidit (sunt verba Censorini de Die Nat. c. XIII. cf. ibi Lindenbrog.), hunc totum mundum musica factum ratione, septemque stellas inter coelum et terram vagas, quae mortalium geneses moderantur, motum habere εὔρυθμον et intervalla musicis diastematis congrua sonitusque varios reddere, pro sua quamque altitudine, ita concordes, ut dulcissimam quidem concinant melodiam; sed nobis inaudibilem propter vocis magnitudinem, quam capere aurium nostrarum angustiae non possunt. Ut autem penitus intelligatur hoc fragmentum, etiam illud monendum est, Apollinem lyrae ἑπταχόρδου sive φόρμιγγος inventorem esse habitum (v. Bion. Id. III. 8. cf. Pindar. Nem. V. 23. (42.) ibiq. schol. al.) Ceterum hoc fragmentum, dum sententiam eius accuratius perpendebam, fecit, ut dubitarem, utrum carmen Varronis Chorographia an Cosmographia verius inscriberetur.

Qui deinceps sequuntur, tres versus apud Isidorum (Origg. l. XVII. c. 7.) exstant. In Indicis stagnis, inquit ille, nasci arundines calamique dicuntur, ex quorum radicibus expressum suavissimum succum bibunt. Unde et Varro ait:

> Indica non magna in arbore crescit arundo:
> Illius et lentis premitur radicibus humor,
> Dulcia cui nequeant succo contendere mella.

Ita versus vel mendosiores etiam leguntur in editione Basileensi a. 1577 (puto), quae sola mihi in promtu est. Sed Isaac. Vossius (Observ. ad Pomp. Mel. l. III. c. 7. p. 829. ed. Abr. Gronov.) et Claud. Salmasius (Exerc. Plin. p. 716. a. D.) eos ita scriptos dederunt:

Indica non magna nimis arbore crescit arundo:
Illius e lentis premitur radicibus humor,
Dulcia cui nequeant succo contendere mella.

Deinde Vossius, postquam probare studuit cannas saccharinas, nisi quotannis putarentur, in altitudinem multo maiorem crescere, quam nunc fieri soleret, primum versum ita emendat:

Indica non magna minus arbore crescit arundo.

At hanc Vossii opinionem de canna saccharina falsam esse, omnes, ni fallor, herbarum periti iudicabunt. Salmasius igitur, qui et ipse ad cannam saccharinam hos versus refert, vocabulum nimis retinet. Sed falsum est, e radicibus cannae saccharinae dulcem succum exprimi. Ergo primum si definire non possumus, quaenam arundo a Varrone significetur, hoc quaeramus, utra lectio vera sit, minus an nimis. Ubi continuo apparet, nimis ferri non posse: tum quod per se hoc loco sensu caret, tum quod ablativus magna arbore defendi nequit. Praeterea, quod ad Varronis locum explicandum nobis hic quidem sufficit, alii quoque scriptores similem arundinem Indicam commemorant. Ita Solinus (Polyhist. c. 52. p. 58. G.) haec de India tradit: Quae palustria sunt, arundinem creant ita crassam, ut fissis internodiis lembi vice vectitet navigantes. *E radicibus eius exprimitur humor dulcis ad melleam suavitatem.* Simile quid Strabo (l. XV. p. 477. ed. Casaub.) ex Eratosthenis auctoritate narrat: *τούς τε ξυλίνους καρποὺς γεννᾶσθαι πολλοὺς, καὶ τὰς ῥίζας τῶν φυτῶν καὶ μάλιστα τῶν μεγάλων καλάμων γλυκείας καὶ φύσει καὶ ἑψήσει χλιαινομένου τοῦ ὕδατος τοῖς ἡλίοις.* Hanc autem vel similem arundinem a Varrone intelligi, certum est. Nec minus certum est, cannas saccharinas, quas

nos vocamus, intelligi non posse. Ac parum etiam curo hoc loco, num talis arundo, qualem hi scriptores describunt, aut me ignorante iam reperta sit aut posthac apud Indos reperiatur. Nam omnes sciunt, quod Strabo non uno loco affirmat, ingentem commentorum molem de India ab antiquis hominibus conflatam esse: sed non omnes sciunt, multas res, quae ut mirae viderentur auctae et amplificatae sunt, falso pro commentiis olim habitas esse. Itaque videmus, Vossii coniecturam potiorem esse. Nam Salmasii opinio, qui ad eandem sententiam exprimendam nam pro non legendum putabat, commemoratione indigna est. Sed Iosephus Scaliger (ad Propert. p. 256. ed. Commel.) pro minus habet minor: quae lectio per se optima est. Nam fateor me dubitare, num minus hic Latine dici possit. Ceterum Ruhnkenius, qui hunc versum e Scaligeri notis affert suspicans eum fortasse ex Chorographia Varronis fluxisse, Isidori immemor fatetur se nescire, unde ille haustus sit (Ep. Crit. II. p. 200.). Videmus igitur quantopere vel doctos viros ea negligentia, quae fontes rerum non indicet, vexare possit.

Septimum fragmentum Servius (ad Virgil. Georg. I. 375 sq.) servat. Hic locus, inquit, omnis de Varrone est; ille enim sic:

Tum liceat Pelagi volucres etc.

Eodem modo Aratus:

Πολλάκι λιμναῖαι ἢ εἰνάλιαι ὄρνιθες
ἄπλητον κλύζονται ἐνιέμεναι ὑδάτεσσιν.
ἢ λίμνην πέρι δηθὰ χελιδόνες ἀΐσσονται.

Καὶ βόες ἤδη τοι πάρος ὕδατος ἐνδίοιο
οὐρανὸν εἰςανιδόντες ἀπ' αἰθέρος ὠσφρήσαντο.
καὶ κοίλης μύρμηκες ὀχῆς ἐξ ὤεα πάντα
θᾶσσον ἀνηνέγκαντο.

Nam et Varro et Virgilius (quem Macrobius Saturn. I. V. c. 2. in Georgicis tempestatis serenitatisque signa de Arati Phaenomenis traxisse

dicit) Aratum secuti sunt. Ex hoc autem Servii loco Ruhnkenius (l. c. p. 200.) intelligendum esse dicit, Varronem non solum Argonautica, sed Arati quoque carmen Latine interpretatum esse. Cui sententiae viri egregii equidem non facile accesserim. Attendas enim, quaeso, illud, quod grammaticus Varronem et Virgilium secutos esse Aratum dicit: quod verbum Ruhnkenio repugnat. Sed magis etiam ei contrarium est, quod ex hoc ipso loco Varronem intelligimus, quae suo consilio accommodata essent, ex Arato excerpsisse. Nam tres versus, qui primi leguntur, ex Diosemiis Arati inde a versu ducentesimo sumti sunt; reliqui vero a versu ducentesimo vigesimo secundo incipiunt. Si igitur quaeris, quo in carmine Varronis illi versus locum habuerint, equidem cum Wernsdorfio (Poet. Latin. min. I. p. 155.) statuendum puto, in Chorographia sive Cosmographia eos lectos fuisse. Nam in hoc carmine, ut de toto sententiam meam proponam, Varronem existimo de systemate mundi, de ipsa terra eiusque partibus, de rebus memorabilibus, quae in qualibet regione gignerentur, de aeris temperie, de ventis aliisque rebus multis multa ac varia tradidisse. Quae sententia satis confirmata erit, si concedetur, quae dedimus fragmenta in eo locum habuisse. At quum per se veri non dissimile sit, Chorographiam ita fuisse institutam, ut haec in eo fragmenta optime locum haberent, quumque nullum aliud carmen Varronis notum sit, quo illa possint apte referri: sane temere faceres, si tale tibi carmen mente velles comminisci. Sed Wernsdorfius (l. c.) aliis quoque argumentis comprobare studet, hos de quibus loquimur versus, in Chorographia hocum habuisse: cuius pars libri navales fuerint. Etenim Vegetius (de Re milit. IV. 41.) haec scribit: Aer vero et mare ipsum nubiumque magnitudo vel species sollicitos instruit nautas; aliquanta ab avibus, aliquanta a piscibus significantur: quae Virgilius in Georgicis divino paene comprehendit ingenio et Varro in *libris navalibus* diligenter excoluit. Eadem iisdem fere verbis apud Ioannem Saresberiensem leguntur (Policrat. l. II. c. 2. extr.). Aer vero, inquit, et mare

ipsum nubiumque magnitudo vel species plurimum afferunt instructionis. Sed et aves et pisces futurorum certissime (—mal) produnt signa, quae Virgilius et Lucanus divino comprehendunt ingenio; sed et Varro in *libris navalibus*, dum sollicitos instruit nautas. Wernsdorfius igitur a Vegetio et Ioanne Saresberiensi carmen Atacini Varronis his locis significari putat. Sed primum ipse titulus operis, nisi velis statuere a Vegetio (nam Ioannes sua ex eo hausit) eum temere immutatum esse, satis monet, ne de carmine cogitemus. Ac similitudo sententiae, quae inter Atacini Varronis versus et verba Vegetii intercedit, sane parum me movet: propterea quod fons eius rei Aratus est, ex quo vel quilibet alius, ergo etiam M. Varro, eadem depromere facile potuit. Et quam probata Romanis Arati carmina fuerint quamque diligenter eo tempore lecta, nemo doctorum ignorat. Quare nihil dubito illos libros navales M. Varroni adscribere. Eosdem libros Solinus (c. XI.) videtur significare his verbis: Varro in opere, quod de *littoralibus* est, etiam suis temporibus affirmat sepulcrum Iovis ibi visitatum. Quam falso haec quoque verba ad carmen Atacini Varronis a Wernsdorfio referantur, res ipsa ostendit. Non minus fallitur idem vir doctus, quod a Servio, qui (ad Virg. Aen. I.) Varronem de Ora maritima laudet, Atacinum Varronem intelligi illudque opus versibus conscriptum fuisse putat. Nam ipsa Servii verba (ad Virg. Aen. I. 112.) satis ostendunt carmen non fuisse hoc opus. *Varro*, inquit, *de Ora maritima* (dicit): Si ab aqua summa non alta est terra, dicitur vadus. Num autem de hoc ipso Servii loco Wernsdorfius cogitaverit, parum curo; sed opinor tamen. Porro quas res Vegetius ex Varrone tradit, eas in hoc M. Varronis opere potuisse locum habere, ex altero Servii loco (ad Virg. Aen. V. 19.) apparet. Ibi enim haec ex eo affert: Nihil enim venti, ut docti dixerunt, nisi aer multus, fluens transversus. Qui locus magis etiam confirmat, hoc opus M. Varronis esse. Ceterum, ut hoc in transitu moneam, libros navales et littorales et de Ora

maritima ad idem opus M. Varronis pertinere suspicor. Quamquam ergo argumentationem Wernsdorfii falsam esse iudico: tamen propter eam, quam supra attuli, causam et eos versus, de quibus postremo loco disputatum est, et ceteros in Chorographia lectos fuisse statuo. Porro autem idem Wernsdorfius (l. c.) non male suspicari videtur, ab Ovidio (Pont. l. IV. 16, 21.) Varronem Atacinum significari eiusque Chorographiam hisce verbis:

Velivolique maris vates, cui credere possis
Carmina caeruleos composuisse deos.

Praeterea Ovidium (Amor. I. 15, 21.) de Chorographia cogitasse suspicor in priore horum versuum:

Varronem primamque ratem quae nesciat aetas
Aureaque Aesonio terga petita duci?

Quod si concedis verum esse, mecum statues Varronem in hoc carmine etiam de prima nave et de inventa navigatione locutum esse.

Aliud fragmentum de ventis ex Chorographia Varronis Scaliger (Catal. p. 245.) affert. Versus hi sunt:

Omnivomo Oceano Hyperion fulgurat Euro.
Arctaeo plaustro Boreas bacchatur ab Aeno.
Hesperio Zephyro sed Orion volvitur Istro.
Fulvo acrique Noto vaga Cynthia proruit Afro.

Burmannus (Anthol. Lat. Tom. II. p. 336.), qui et ipse ex Scaligeri auctoritate hoc fragmentum Varroni adscribit, hos versus obscurissimos esse dicit et sine dubio corruptos atque legendum esse coniicit primo versu omnivago Oceano, secundo Arctoo pro Arctaeo et Haemo pro Aeno, tertio Hesperio Zephyrom (um) sed Orion volvit ab Istro, quarto vel furvo acrique Noto vel udo acrique Noto. Sed idem Burmannus, qui tamen alias his in rebus satis verbosus esse solet, hoc loco nihil annotat, unde hoc fragmentum depromtum sit, cuiusque auctoritate Var-

roni adiudicetur. Itaque ego hoc fragmentum Varronis esse nego, donec, qui Scaligerum et Burmannum sequi volunt, idoneum sententiae suae auctorem nominent: nam versus ipsi multis de causis Varrone ita indigni mihi videntur, ut vel invito aliquo auctore eos huic poetae abiudicandos putem. Etenim non raro ab antiquis grammaticis vel scholiastis scriptorum nomina inter se commutata esse, omnes sciunt; sed accipe a me notabile huius rei exemplum. In Casauboni notis ad Vitam Persii haec leguntur: Postremo sciendum, quaedam a grammaticis tamquam Persii afferri, quae in his illius satiris non invenias; ut exempli gratia, a Servio in tertium Georgicorum illa verba,

Findit infantes statuas. — —

ab Isidoro hunc versum, libro XVII.

Buccina iam priscos cogebat ad arma Quirites:

quae vel alius sunt Persii quam nostri: vel aliorum poetarum et merae hallucinationes grammaticorum. Sed non meminit vir doctissimus, priorem versiculorum particulam Horatii (Serm. II. 5, 39. 40.) esse: alter versus unde sumtus sit, etiam Fr. Passovius (Praef. ad Pers. p. VI.) se nescire confitetur. Itaque eum ex iuvenilibus Persii poematis superesse opinatur: sed ea opinio vana est, quum hic versus in celeberrima illa Propertii elegia legatur, quae prima libri quarti est (v. 13.).

Progredior iam ad aliam coniecturam, quam Petrus Scriverius primus proposuit argumentisque confirmare studuit Wernsdorfius (Poet. Lat. min. I. p. 154 sqq.). Coniecerunt illi fragmentum Ponticorum, quod sub Solini nomine antea ferebatur, Varronis Atacini esse additque Wernsdorfius id haud dubie librorum navalium (i. e. Chorographiae; nam quid de libris navalibus iudicandum esset, modo vidimus) partem fuisse. Sed omnis haec coniectura, quae testimonio nititur nullo, inde nata est, quod maioris spiritus hoc fragmentum illis viris videbatur, quam ut a Solino possit compositum esse. Quamquam haec argumentatio per

se nihil fere valet, ut Varroni illi versus possint adscribi, tamen ut tota res plane conficiatur, eos huc ponere placet.

Tethya marmoreo fecundam pandere ponto
Et salis aequoreas spirantis molle catervas,
Quaeque sub aestifluis Thetis humida continet antris,
Coeptantem Venus alma fove: quae semine coeli,
Parturiente salo, divini germinis aestu,
Spumea purpureis dum sanguinat unda profundis,
Nasceris e pelago, placido Dea prosata mundo.
Nam quum prima foret rebus natura creandis
In foedus connexa suum, ne staret inerti
Machina mole vacans, tibi primum candidus aether
Astrigeram faciem nitido gemmavit Olympo.
Te fecunda sinu tellus amplexa resedit
Ponderibus librata suis, elementaque iussa
Aetherias servare vices. Tu fetibus auges
Cuncta suis, totus pariter tibi parturit orbis.
Quare, Diva, precor, quoniam tua munera parvo
Ausus calle sequor, vitreo de gurgite vultus
Dextera prome pios et lumine laeta sereno
Pierias, age, pande vias. Da Nerea molli
Pacatum gaudere freto, votisque litata
Fac saltem primas pelagi libemus arenas.
Vos quoque, qui resono colitis cava Tempea coetu . . . .

Iam si quis hosce versus cum Varronianis iis, quos supra dedimus, vel leviter comparaverit, haud dubie mecum statuet, Varroni eos omnino esse dissimiles. Quid vero docti illi viri de magno spiritu huius fragmenti praedicent, equidem tam parum video ac sentio, ut auctor eius in poetis non ita bonis numerandus esse mihi videatur. Tumorem dictionis sentio, vim poeticam non sentio. Neque invitus crediderim, Venerem annuisse versificatori, ut pelagi libaret arenas: qui versus adeo ineptus mihi videtur, ut in memoriam reducat illud Horatianum:

Furius hibernas cana nive conspuet Alpes.

Praeterea in usu ac structura verborum tam impeditus et obscurus est, ut scriptorem Latine balbutientem audire te putes. Equidem omnino dignos esse censeo hos versus Solini ingenio, cui in codicibus Mss. adscribuntur (v. Salmas. Prolegg. ad Solin.). Nam, ut dicam quod sentio videtur mihi ille poeta, quisquis fuit, Lucretium parum feliciter imitatus esse.

Non meliore iure aliud fragmentum de Luna (quod si Varronis esset, ex Chorographia sumtum diceres) Pithoeus, Scriverius, Rivinus (v. Not. ad Pervigil. Vener. p. 76.) aliique Varroni Atacino adscripserunt. Iosephus Scaliger autem (Catal. l. II. p. 239.) et Burmannus (Antholog. Tom. II. p. 322 sqq.) rectissime illud incerto auctori assignarunt. Ego enim Barthii sententiae subscribo (Advers. XXXVII. 20.), qui ita iudicat: Eruditum esse id carmen, quod defectum Lunae canit et Varroni Atacino a nonnullis eruditorum adscribitur, facile credo; tam vero antiquum minime concesserim. Multa enim insunt Afrum spirantia potius quam Romani oris scriptorem, epitheta affectatiora, cursus orationis, qui aevum Apuleii ipsiusque ingenium quam Lucretii et Catulli potius sapiat. Qui autem accuratius de auctore huius carminis quaerere constituerit, ante omnes Burmannum adeat eiusque congeriem notarum.

V. Elegiae.

P. Varronem etiam elegias scripsisse, ex iis locis, quos de interpretatione Argonauticorum supra attulimus, apparet. De his Ruhnkenius (Ep. Crit. II. p. 200.) ita scribit: Magnam ab idoneis arbitris laudem tulit eius *Leucadia* sive *Elegiarum liber*, post Argonautica scriptus. Haec omnia ex iis ipsis, quos modo diximus, locis colliguntur: post interpretationem Argonauticorum elegias a Varrone scriptas esse, Propertii locus docet (II. 25, 85.). Fragmentum, quod ex elegiis supersit, habeo nullum. Fortasse tamen versus ille, quem Virgilius in Georgica (l. II. v. 404.), teste Servio (ad l. c.), transtulit, ex elegia aliqua sumtus est:

Frigidus et silvis aquilo decussit honorem.

Recte enim Ruhnkenius (l. c. p. 211.) dubitat, num hic versus pertineat ad Apollonii Argon. II. 1102. Et videtur ei non ex Argonauticis, sed ex alio Varronis carmine sumtus esse. Ego censeo et sententiam huius versus et colorem elegiaco carmini optime convenire.

VI. Satirae.

Ex Horatii loco, quem supra adscripsimus, intelligitur, Varronem satiras quoque scribere conatum esse, sed parum feliciter. Ad eum locum Acro haec annotat: Varro quidem tentavit satiras scribere et scripsit et ideo non edidit. Atqui (sunt Ruhnkenii verba l. c. p. 200.), si Varro satiras suas suppressit, nulla Horatio de illis iudicandi facultas fuit. Verius igitur est, in eruditorum manibus fuisse, ut scholiastes Cruquianus scribit et res ipsa declarat.

Epilogus.

Davidem Ruhnkenium, de litteris antiquis et artibus immortaliter meritum, in secunda sua Epistola Critica de P. Terentii Varronis Atacini vita et scriptis breviter, sed erudite et eleganter, pro more suo, disputasse aliquoties supra vidimus. Quapropter quum mihi verendum sit, ne audaciae me et temeritatis homines litterati insimilent, qui argumentum a tali ac tanto viro tractatum denuo tractarim: quae causae me impulerint ut hoc facerem, ingenue profitendum est. Etenim constitueram ante aliquod tempus de Latinorum poetis epicis, qui ante Virgilium vixerint quorumque scripta deperdita sint, ita explicare, ut vitis eorum breviter enarratis collectisque fragmentis argumenta carminum ac dispositionem, quantum fieri posset, describerem. Omnem autem hunc laborem eo consilio suscipere volebam, ut Virgilii carmina, coram discipulis mihi interpretanda, quam diligentissime illustrarem. Nam in animo meo hanc speciem commentarii Virgiliani informaveram, ut argumenta et fabulas ex fontibus eorum accu-

rate ac breviter narrarem, dictionem autem et per se examinarem et quid antiquioribus poetis deberetur. Prius illud Heynium forsitan ita praestitisse nonnemo putaverit, ut, qui eam rem retractare vellet, tempore male abuti videatur. Ac sunt profecto Heynii commentationes, quos excursus inscripsit, multarum rerum et utilium plenae: at (pace tanti viri dixerim) tam parum elaboratae illae sunt et tam negligenter conscriptae, ut recte ea horrea esse dixeris granis et acere conferta. Sed praecipue tamen dictionem Virgilii et eloquendi artem explicare cogitabam, ut memorabilium locutionum vim et per se explanarem et quantum quaeque a vulgari sermone distaret. Nam vulgus interpretum in hac re potissimum peccare video, quod diversa genera dicendi inter se confundunt naturamque elocutionis susque deque habent. Qui de sensu alicuius vocabuli vel dicendi formulae longas disputationes instituunt et (quasi hoc scire operae pretium sit) digitis numerare solent, qui scriptores eo vocabulo usi sint: at cur ita scriptor locutus sit, de hac re altum plerumque silentium est. Vel si quando hoc quaerere iis in mentem venit, negligenter provincia sua fungi solent in etymologia vocabulorum immorantes neque, id quod multi laboris est, magnopere curantes loquendi usum. Imprimis autem hoc quaeri oportet, quis quo loco cur ita locutus sit. Quid multa? Cuiusque vocabuli quasi vitam enarrare debebis. Videbam igitur praeter accuratam totius linguae et Virgilianae dictionis cognitionem praecipue mihi opus esse, ut omnes poetas epicos cognitos haberem. Ita mihi natum est consilium, ut horum reliquias vellem colligere. Quamquam autem multa iam conquisivi, plura tamen mihi adhuc deesse video: quum per vitae et muneris rationem huic labori nonnisi horas subsecivas impendere potuerim et in bibliotheca nostra multi libri ad eam rem omnino necessarii desiderentur. Veniam igitur dabunt viri docti huic de Varrone scriptioni, si quid in ea praetermissum sit vel parum bene disputatum. Quam profecto non edidissem, nisi et programmatis conscribendi munus demandatum mihi esset et viderem, illud meum consilium me vel post longum demum tempus vel omnino nunquam exsecuturum esse.